Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

non servientibus. et me de illis flendo vindicabam. Tales esse infan
tes didici quos discere potui. et me tale fuisse magis ipsi
mihi indicaverant nescientes quam scientes nutritores mei.
Et ecce infantia mea olim mortua est et ego vivo. Tu autem domine Hic incipit de infantia
qui et semper vivis et nichil moritur in te. quoniam ante primordia
seclorum. et ante omne quod vel ante dici potest tu es. et deus es dominusque
omnium quae creasti. et apud te rerum omnium instabilium stant
causae. et rerum omnium mutabilium immutabiles manent ori
gines. et omnium irrationabilium et temporalium sempiternae
vivunt rationes. dic mihi supplici tuo deus et misericors
misero tuo. dic mihi utrum alicui iam aetati meae mortuae suc
cesserit infantia mea. an illa est quam egi intra viscera ma
tris meae. Nam et de illa michi non nichil indicatum est. et prae
gnantes ipse vidi feminas. Quid ante hanc etiam dulcedo
mea deus meus. fui ne alicubi aut aliquis. Nam quis mihi dicat
ista. nec pater nec mater potuerunt. nec aliorum experimentum.
nec memoria mea. An irrides me ista quaerentem te. qui
de hoc quod novi laudari te a me iubes et confiteri me tibi.
Confiteor tibi domine caeli et terrae. laudem dicens tibi de primor
diis et infantia mea quae non memini. et dedisti ea homi
ni ex aliis de se conicere. et auctoritatibus etiam mulierecu
larum multa de se credere. Eram enim et vivebam etiam tunc. et
signa quibus sensa mea nota aliis facerem iam in fine infantiae
quaerebam. Unde hoc tale animal nisi abs te domine. An quisquam
se faciendi erit artifex. aut ulla vena trahitur aliunde
qua esse et vivere currat in nos praeter quam quod tu facis nos
domine. cui esse et vivere non aliud atque aliud est. quia summe
esse ac summe vivere ipsum est. Summus enim es et non muta
ris. neque peragitur in te hodiernus dies. et tamen peragitur in te.